



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Pavli Laymann è Societate I: Theologiae Moralis  
Compendiv[m] absolutissimum et in quinq[ue] libros  
partitum**

**Laymann, Paul**

**Moguntiae**

Cap. 1. De superstitione eiusq[ue] speciebus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40716**

colatur, qui non est; vel secundum circumstantias, si verus Deus colatur modo indebito. Peccata secundum defectum duplicis generis sunt. Nam sicut virtus Religionis duplices habet effectus, quosdam primarios, quibus Deus secundum se ac directe colitur, ut adoratio, sacrificium, votum, iuramentum, quosdam verò secundarios, quibus res aliæ sacræ, siue Deo dicatæ ob eiusdem honorem coluntur. V. C. sacerdotes sanctorum Reliquiæ, sacra vasa, scriptura, sic alia peccata contra Religionem sunt, quibus Deo secundum se irreuerentia irrogatur. tentatio Dei, iuramentum periurium, blasphemia. Alia peccata sunt, quæ communi nomine sacrilegii comprehendi solent, quibus res aliæ sacræ Deo dicatæ indigne & cum irreuerentia in Deum ipsum redundante, tractari solent.

## C A P. I.

*De superstitione eiusque speciebus.*

- 1 Superstitio est cultus falsi, sicut Religio veri. Secundum defectum ex parte obiecti tres sunt species, Idololatria (falso Deo, diabolo ipsi propria, utpote honorem Deo debitum affectandi ob inuidiam) Diuinitio (quia petitur à diabolo rerum occultarum cognitio,) Vana obseruantia (qua Magi à diabo actionum suarum directionem petunt, ad eum modum à diabolo instructi) quia nos colimus Deum, tum ex reuerentiâ, & debitum honorem debitum deferendo, tum obseruando, partim ea, quæ solus ipse nobis largitur, partim ea, quæ ad actionum nostrarum directionem spectant.
- 2 Superstitionis secundum defectum ex parte cultus duo modi sunt, vel enim est cultus falsus, vel super-

perfluus: Falsus perniciosus cultus est, si quis Deum colere præsumat cæremonia agni paschalis, per quã ex diuina institutione futura Christi passio significatur dum perfecta sit: Huc pertinent falsæ traditiones hæreticorum docentium aliud in sacrificio offerendum quam Christus docuit.

Falsas reliquias proponere, falsa miracula prædicare aut scriptis mandare, ex genere suo est mortale, cum sint falsitates perniciosæ, ob quas minor deinde fides aliis veris miraculis & reliquiis adhibetur.

Si quis Deum colere aggrediatur tanquã Ecclesiæ minister cum commissionem non habeat, grauius peccat. Sicut enim falsarius ille est, qui nomine aliquo alterius proponit, quæ ipsi commissa non sunt, ita vitium falsitatis incurrit, qui nomine Ecclesiæ cultum Deo exhibet contra formam ab Ecclesia constitutam, vt si aliquis sacrificium offerens cum sacerdos non sit, &c.

Superstitiosi cultus species secundum superfluitatem in eo consistit, quod aliquis Deum colere aggrediatur eo modo, vel cæremonia quæ neque ad ipsius gloriam, neque ad spiritus deuotionem excitandam inseruit. Ratio, quia Cæremonia siue ritus inanis fit. V. C. non nete die Sabbathi in honorem diuæ Virginis; Interim aliis seruilibus operibus insistendo, item orare ante solis ortum, adhibito certo numero, colere cereorum. Audiendi missam à sacerdote qui vocatur Iohannes, ant quia est contra statum Ecclesiæ V. C. in Missa sæpius dicere Alleluia, dicere Gloria, cum intermittendum sit secluso scandalo, venialia sunt peccata. Si tamen cultus non tantum vanus sit, sed etiam turpis V. C. turpia cantando in Ecclesia vel lasciuia in organo notabiliter & ad lasciuiam prouocante, est mortale. CAP.